

Vorbemerkung:

Der folgende Text soll in angemessenes Deutsch übersetzt und durch die Bearbeitung der unter II. gestellten Aufgaben sprachlich erläutert werden.

I. Übersetzung:

ULIXES - ANDROMACHA.

ULIXES.

- Durae minister sortis hoc primum peto,  
ut, ore quamvis verba dicantur meo,  
non esse credas nostra: Graiorum omnium  
procerumque vox est, petere quos seras domos  
5 Hectorea suboles prohibet: hanc fata expetunt.  
sollicita Danaos pacis incertae fides  
semper tenebit, semper a tergo timor  
respicere coget arma nec poni sinet,  
dum Phrygibus animos natus eversis dabit,  
10 Andromacha, vester. augur haec Calchas canit;  
et, si taceret augur haec Calchas, tamen  
dicebat Hector, cuius et stirpem horreo.  
generosa in ortus semina exsurgunt suos:  
sic ille magni parvus armenti comes  
15 primisque nondum cornibus findens cutem  
cervice subito celsus et fronte arduus  
gregem paternum ducit ac pecori imperat;  
quae tenera caeso virga de trunco stetit,  
par ipsa matri tempore exiguo subit  
20 umbrasque terris reddit et caelo nemus;  
sic male relictus igne de magno cinis  
vires resumit. est quidem iniustus dolor  
rerum aestimator: si tamen tecum exigas,  
veniam dabis, quod bella post hiemes decem  
25 totidemque messes iam senex miles timet  
aliasque clades rursus ac numquam bene  
Troiam iacentem. magna res Danaos movet,  
futurus Hector: libera Graios metu.  
haec una naves causa deductas tenet,  
30 hic classis haeret. neve crudelem putas,  
quod sorte iussus Hectoris natum petam:  
petissem Oresten. patere quod victor tulit.

ANDROMACHA.

Utinam quidem esses, nate, materna in manu,  
nossemque quis te casus erectum mihi  
35 teneret, aut quae regio - non hostilibus  
confossa telis pectus ac vinclis manus  
secantibus praestricta, non acri latus  
utrumque flamma cincta maternam fidem  
umquam exuissem.

II. Sprachliche Erläuterungen:

1. Wie hat man seras (v. 4) aufzufassen?
2. Geben Sie etymologische Erläuterungen zu suboles (v. 5)!
3. Erklären Sie den Tempusgebrauch bei dicebat (v. 12)!
4. Erläutern Sie den Kasusgebrauch bei fronte (v. 16) und  
pectus (v. 36)!